+ Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei
Carissimo in Christo filio Illustri Regi Luthawie
Salutem et Apostolicam Benedictionem

~~Luthawie Regem neophitum a nemine molestari patientur~~ – – – –

Rex Luthawię christianam religionem amplexus in beati Petri tutelam accipitur.

Multa cor nostrum est super eo iocunditate perfusum, quod Dei et Redemptoris nostri Iesu Christi benignitas super faciem te suam illustrando, tibi misericorditer inspiravit, quod te olim in tenebris positum cum numerosa multitudine paganorum ad gloriam divini nominis regenerari fecit per unde gratiam baptismalis. Quia vero per solempnes, ac speciales nuncios nobis humiliter supplicasti, ut te admittere in specialem filium sancte Romane Ecclesie, ac paterna benevolentia prosequi

deberemus. Nos tuis iustis deſideriis, que digna favore pleniſſimo reputamus, affectu benivolo annuentes, Regnum Lathavie, ac terras omnes, quas per divine virtutis auxilium iam eripuisti de infidelium manibus, vel eripere poteris in futurum, in ius et proprietatem beati Petri suscipimus, et ea cum uxore, filiis, et familia tuis sub protectione ac devotione Sedis aplice permanere sancimus, districtius inhibentes ne quis te in fide Sedis aplice persistentem super prefatis Regno, et terris temere impedire, seu molestare preſumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis, conſtitutionis, et inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem

Datum Mediolani XVI. Kalendas Augusti, Anno Nono.

Descriptum, et recognitum ex autographo Regesto Literarum aplicarum f. r. Innocentii PP. IV., anno IX. epist. 1., quod adservatur in Tabulariis Secretioribus Vaticanis. In quorum fidem hic me subscripsi, et solito signo signavi.

Dabam e Tabulariis praefatis XII. Kal. Iunii MDCCCXXXVII. Indictione X., Pontificatus vero S.mi in Christo Patris, et D.ni N.ri, D.ni Gregorii div. prov. PP. XVI. an. VII.

ARCHIVVM SECRET. APOSTOL. VATICANVM

M. Marini
Tabular. S. R. E. Praefectus